



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **MAGNA SANE** BEATAE MARIAE VIRGINIS LAURETANAE  
SACRARIIUM IN OPPIDO

FORIO ISCLANO LOCATUM AD BASILICAE MINORIS DIGNITATEM ATTOLLITUR Ad perpetuam rei memoriam. –  
Magna sane afficimur laetitia, in Isclana insula Beatae Mariae Virginis cultum antiquam repetere memoriam cum  
videamus, ibidem saeculorum decursu eiusdem venerationem pergere vel potius increbescere. Nihil mirum igitur in  
frequens celebreque sanctuarium Virgini Lauretanae dicatum idemque in oppido Forio Isclano situm complures  
concessisse Cardinales Episcoposque, Reges Principesque, quod tota insula marialis cultus primarium habebatur iure  
meritoque locum. Nec desunt ibidem venusta articia, quibus templum ipsum locupletatur quaeque sunt pietatis fidelium  
testimonia. His propositis rebus, libentes quidem occurrere Venerabilis Fratris Antonii Pagano, Episcopi Isclani, precibus  
censuimus, qui et suum significans propositum et cleri fideliumque, instanter postulaverat ut sacra aedes, Beatae Mariae  
Virgini dicata, titulo a Nobis ac dignitate ornaretur Basilicae Minoris. Quapropter omnino comprobantes ea quae  
Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum decrevit, Apostolicae Nostrae potestatis usi plenitudine,  
templum quod supra memoravimus in numerum referimus Basilicarum Minorum, additis pariter iuribus ac privilegiis quae  
cum condicione hac nectuntur. Neque neglegantur ea quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris» praescribit, die VI  
mensis Iunii editum, anno MCMLXVIII. Contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. Ceterum haud mediocris Nos  
tenet spes, aucta sacrarii dignitate, sacerdotes inibi, religiosos, consociaciones fidelesque cunctos novum suscepturos  
incitamentum ergaque Matrem caelestem renovatum studium, unde christiana res magnum accipiat beneficium. *Datum*  
*Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Novembris, anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri*  
*duodecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1989 - Libreria Editrice Vaticana